Fragmentarium

2v

uerbo uel uocatiuo [illegible]
bulas. Pronomina enim primę et secundę personę ideo maxime accipiuntur ut loco
propriorum fungantur nominum cum uerbis earundem personarum. ut ego ambulo.
tu ambulas. Itaque loco tertię personę melius nomen ponitur. et maxime si abest.
ego facio. tu facis. tullius facit. Nisi uel presens sit uicina et demonstratiue hoc
ipsum uolentes indicare dicamus hic uel iste. ut longe uideatur et dicamus ille.
uel si absit. quasi de iam cognito utamur relatiuo is. dicentes de quo iam nouimus
aliquid uel locuti ante sumus. Cum igitur semper in demonstratione sit prima
et secunda persona. hoc autem nominis careat nominatiuus. iure ad tertiam retru
ditur persona. Substantiuis autem et uocatiuis solis ideo adiunguntur uerbis et
primę et secundę personę nominatiui nominum. quod uidentur ipsa hęc uerba uim
demonstratiuam habere. Ostendunt enim substantiam ipsarum personarum
uel nominationem. in qua similiter substantia demonstratur. Nec egent pro
nominibus. quę demonstrationem substantię significant. Cum igitur omnia quę
sibi coniunguntur in diuersis posita personis casualia. siue disiungantur. seu co
pulentur eundem seruant casum. Vocatiuus hoc solus seruare non potest.
Dicimus enim uel probus uel donatus. et priscianus et theoctistus. et ego et ille uel mei uel tui.
et mihi et tibi uel me. uel te. et a me et a te. Vocatiuus autem nisi in una ea
demque persona conferantur diuersa nomina iungi non potest. ut bone et caste
et formose. Quia enim alia persona hunc casum habere non potest nisi secunda eo
diuersas iungere personas non possumus. Ceteris uero casibus diuersas personas
iungimus. Quippe cum in omnibus illis inueniuntur personis. Ergo quando
dicimus ego et ille et tu. sine dubio nominatiuus est tu. Idque maxime
dinoscitur in plurali numero. quod pluralia conceptionem habent personarum.
Ergo quando dicimus ego et tu docti sumus sine dubio tu nominatiuus in
tellegitur. Et quod pronomina isdem casibus adiunguntur nominibus. Ego uirgilius. tu
uirgilius. ille uirgilius. mei uirgilii. tui uirgilii. illius uirgilii. Et quod ad inter
rogationes nominatiui redduntur. Quis scripsit. ego. quis scripsit. tu.
quis scripsit. ille. Et quicquid habet uocatiuus. hoc et nominatiuus habet.

Priscian XIII 4 f. 1v

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.64, 1v – Priscian, Institutiones grammaticae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-2sjf/1397/18620)